

2
DISSERTATIO

46.

De
PRINCIPUM
IMPERII
JURE,

Quam
Divinâ favente & auxiliante Clementiâ,
Auctoritate & Consensu Magnifici & Nobilissimi
Œctorum Ordinis in florentissimâ & celeberrimâ Salanâ

Sub
Præsidio ac Directorio

Viri Nobilissimi, Amplissimi ac Consultissimi

Dn. ORTHOLPHI FOMANNI

Œcti Excellentissimi, Profess. Publici celeberrimi,
Confiliarii Saxonici, Curix Provincialis ac Scabinatus
Assessoris gravissimi,

Patroni, Fautoris, Præceptoris & Promotoris sui singulari
observantia cultu prosequendi,

Pro Summis in utroque Jure honoribus & im-
munitatibus consequendis

Ad diem 26. Januarii horâ locoq; solitis

Publico & solenni subicitur examini

GEORGIUS STEPHANUS Schelhase /
Coburgô Fr.

J E N Æ

t JOH. CHRISTOPH. WEIDNER, anno 1638.

Jus publ. Germ.

F. 170,92

D. 192.



*Illustrissimo, Celsissimoq^{ue} Principi ac
Domino,*

DN.

**JOHANNI ERNESTO
SENIORI,**

**Saxoniae, Juliae, Cliviae & Mont-
tium Duci, Landgravio Thuringiae, Marchioni
Misniae, Comiti Marcae & Ravensburgi,
Dynastæ in Ravenstein, DN. suo
Clementissimo,**

*Dissertationem hancce
inauguralem*

*Humillimè offert ac conse-
crando inscribit*

RESPONDENS:



S. S. T. F.

THESIS I.

Romanam Rempublicam varias formas gubernationum expertam esse, evincunt historiae, & quidem diversorum Regiminum iisque Praefectorum magistratum species refert Pomponius l. 2. ff. de orig. j. qui ut translata à Populo R. in Principem omni potestate nil proprii salvâ Majestate Principis potuerunt habere, multo minus in heredes transmittere; ita inde frustraneam operam illi mihi semper insumisse visi sunt, qui nostros Principes, Duces, Comites, Magistratibus Romanis vel surrogare vel iisdem equiparare saltem ausi fuerunt.

H.

Etsi enim Praefecti Praetorio potestas & auctoritas post Principem summa & in tantum aucta, ut appellari ab illo non potuerit, nec adversus illum per restitutio in integrum nisi ab ipso l. 1. de off. Praef. Praet. l. 18. ff. de minor. Potestas tamen haec solum fuit officii & administrationis l. 1. §. 5. ibi administrationes, C. de off. Praef. Praet. Afr. t. t. C. de off. Praef. Praet. imò ubi imperium declinare coepit, nomen etiam mutatum, & qui antea Praefectus Praetorio, post magister stabuli cum imminuta potestate appellatus est, Pomponius Latus de Magistr. R. c. 8. p. 92. Besold. in delib. Jur. ex lib. 1. Pandect. ad t. de off. praefect. praet.

III.

Alia autem ratio quum sit modernorum Imperii Principum, qui veri sunt Domini terrarum & in suis territoriis supremam Jus, idque perpetuum & transmissibile habent, vul-

A B gò

gò die Landfürstliche Obrigkeit / sonderbare Hohelt / vnd Oberbotmessigkeit / atque proportione quâdam regalia & jura Majestatis exercent , & hæc quidem omnia expediunt , non jure officii , aut administrationis , sed proprio Marte & specie cujusdam *αὐτοκρατορίας* ; igitur me non malè locaturum operam in diligentiore ejus inquisitione reor.

IV.

Quod quo facilius fiat , animus est , Principum nostrorum Jus, SS. Triade favente & auxiliante , pro ingenii modulo thesibus quibusdam delineare. Exhibiturus autem iisdem non quæ requirit hujus materiæ dignitas & amplitudo , sed quæ permittit ingenii tenuitas ; sufficiat mihi si aliis anam præbuero talia mecum communicandi , quæ à me impræsentiarum sperari nequeunt.

V.

Quamvis secundum Wehn. *in pract. observ. verbo Landfürstlicher Obrigkeit / & nomen & res der Landfürstlichen Obrigkeit vnd Oberbotmessigkeit* , nec ll. expressa , nec usu juris satis definita , aut certis limitibus circumscripta reperiat , imò juri nostro planè incognita , & solis moribus introducta , variè que usurpata sit , attamen juxta Knichen *tr. de jure territorii c. 1. n. 147.* Jus Principum non incommodè videtur posse definiari , quod sit superioritas Principibus sublimi & regiâ Jdictionis lege , sub nomine & qualitate der LandObrigkeit / ordinario & proprio Marte concessa.

VI.

Cum verò teste Philosophorum Principe definitio rectè cognosci non possit , nisi singula ex quibus constituitur sint etiam cognita. Rectè huic præcepto aures accommodabo & cum Knichen. *d. l.* singula ejusdem verba examinabo.

VII.

Generis vicem sustinet SUPERIORITAS : namque *ea* sublimioris Imperii & honoris , summi que dominatus Symbolum

lum est, sibi que locum affectat, tam in allodialibus quam feudalibus.

II X.

Licet enim in illis libera & franca sit administratio cujusque, ut quoad dominium tam directum, quam utile superiorem quis non profiteatur, *Bl. c. 1. §. defuncto, si de feud. fuer. controu.* Attamen quoad Jurisdictionem, non dispositionem intelligitur, salvo protectionis & supremæ Jurisdictionis jure *l. 2. §. fin. de quadr. prescript.* & vigore superioritatis majestas & dignitas illa etiam in liberos exercetur, *Knichen. d. tr. c. 1. n. 280, & 281.*

IX.

Superioritas autem illa quum non nisi jure quodam Principatus exerceri possit *arg. c. 1. de Feud. March.* notanter dicitur in definitione competere Principibus jura territorialia.

X.

Initio enim ejusmodi excelitate perpauci ab Imperatore R. decorati sunt & vestiti, quos in partem suæ sollicitudinis adsumserat Imperator *Knich. d. l. n. 289.*

XI.

Principis nomen quamvis propriè Imperatori soli competat, ut que is eâ appellatione denotari solet *in LL. Romanis l. Princeps de LL. l. 1. §. 1. r. de Constit. Princ. §. sed & quod Inst. de I. N. G. & C.* usutamen & usurpatione generalius factum, ut Duces, Marchiones, Archiepiscopi, Episcopi & similium majorum feudorum regalem dignitatem habentes vocentur Principes hodiè, id que fit expressè à Friderico I. *in c. 1. in pr. de prob. feud. alien.* Qua in re subjectæ materiæ svasu sub vocabulo Principum non modo intelligo Principes, qui sunt Politici Ordinis, quales sunt Duces, Marchiones, Comites & Barones, sed & eos, qui sunt ordinis Ecclesiastici, videlicet Archiepiscopos & Episcopos. Et quod olim de HERBIPOLENSI EPISCOPO, qui tempore Caroli M. solus specialiter de Ducatu investitus, jus gladii accepit, vulgatum erat dictorium; HERBIPOLIS SOLA

ju.

JUDICAT ENSE STOLA: id hodiè ad plures est diffusum, ut non amplius audientiam tantum ut olim, sed & Iudicium exercent criminalem, atque ita Principum personas induant, ideoque tanquam Ecclesiasticæ personæ jura superioritatis & regalia non habent, sed tanquam status & imperii Principes illa possident & exercent *Reinkingk de Reg. Sec. lib. 1. cl. 4. c. 9. n. 10.* atque tantis honoribus ab Imp. cum cumulati, factum ut Potentissimorum Imperii Principum opes & potentiam, si non superare facile tamen æquare possint, ut ex aliis refert Heig. *q. 4. n. 52.* Unde Imperium nostrum sacrosanctum appellatur & Principes in Ecclesiasticos & Seculares distribuuntur. *Reinkingk. d. l.*

XII.

Ea autem jura quæ habent Principes, habent etiam liberæ Imperii civitates *Bebrt. de salvo conduct. concl. 116. Besold. de Jdct. Imper. R. q. 17. Rutg. Ruland. de Commiss. lib. 5. c. 4. n. 41.* id etiam innuit Münster. *in Cosmograph. lib. 3. de Germ. c. 22.* quando ita scribit: *Gleicher weise wie die Könige vnd Keyser in teutschen Landen hoch begabet die Fürsten vnd Herren/ also haben sie auch nochmals aus sonderlicher Gnade vnd Mildigkeit gesteyet die alten Städte/ denselben vergönnet eigne Regierung/ &c.*

XIII.

Dicitur porro in definitione: Sublimi & regiâ Iudicium lege concedi jura Superioritatis, hoc accipiendum sub nomine & qualitate der Lands Obrigkeit/ vocantur etiam sonderbare *Hohheit vnd Oberbotmessigkeit* / ut secernantur jura, quæ extra territorium & sine eo expediri & exerceri possunt, ut sunt quæ in voluntaria Iudicium consistunt, *Knich. d. l.*

XIV.

Tandem in definitione dicitur: Ordinario & proprio Marte. De illo in propatulo est, ordinariam Iudicium non nisi à Principe vel lege concedi, *Molin. de primogen. Hisp. lib. 1. c. 25. n. 12.* De hoc quoq; non minus certum est territoriis in dignitatem regiam euectis Iudicium proprio & ordinario Marte concedi.

XV

XV.

Fuit quidem & Magistratibus R. Jdictione proprio Jure concessa. Unde rescriptum est *l. 5. de Jdict.* More majorum ita comprobatum esse, ut is demum Jdictionem mandare possit, qui eam suo jure non alieno beneficio haberet. Verum hoc ita dicebatur fieri, vel ad differentiam delegatorum, qui nihil proprii habebant *l. 1. § 1. Et ibi purpurat. n. 2. ff. de off. ejus cur Mandat. est Jdict.* vel potius suo jure is Jdictionem habere existimabatur, cui hæc eo ipso, quo Magistratus est creatus, concederetur.

XVI.

Hinc jure proprio & jure Magistratus competere æquiparantur, & unum idemque esse reputantur *d. l. 1. in pr. ver. que v. magistratus jure Et c. de off. ejus Et c. junctal 5. de Jdict. & generaliter, quæ jure Magistratus aut proprio jure competunt, mandari possunt d. l. 1.*

XVII.

Principibus verò Imperii longè pleniori jure scil. territorii, cui, ut alia sic & illa ipsa quasi est annexa. Unde & concessio territorio universaliter successoriâ lege in perpetuum transit ad commodum & utilitatem propriam *Knichen. d. tr. c. 1. n. 388.*

XVIII.

Exinde infertur veram esse, vulgatam & tritam tam in foro quam scholis, *Dd. Theoricam; Duces, Marchiones, Comites, &c. immediatos in suo Ducatu, Marchionatu, &c. tantum posse quantum Imperatorem in toto Imperio Bl. in l. receptitia C. de constit. pecun. Paul. de Castr. consil. 83. incipiente super primo dubio part. 2. Alexand. consil. 1. n. 29. vol. 5. & alii quos refert Borch. in tr. de feud. c. 5. n. 34. Et in c. un. que sunt regalia n. 7. Et seq. Et quos prolixâ serie allegat Bachov, ad vol. 1. Tr. disp. 23. th. 2. lit. c.*

XIX.

Non tamen propterea Imperatori pares efficiuntur, sed

re-

relatione habitâ ad subditos suæ provinciæ, in quos eandem
vel similem, quam Imperator in universo, habere videntur.
Iudicium *Wehn. d. l.* adeo ut Principes Imperii Gratia Dei
suam dignitatem acceptam ferant; non minus quam summus
Princeps in suis rescriptis Epistolis, & Edictis utuntur formulâ,
Wir von Gottes Gnaden.

XX.

Eâdem etsi formulâ & intitulaturâ olim non solum Prin-
cipes & Duces, sed & his inferiores usi fuerunt, cujus rei exem-
plum mihi præbet Excellentiss. Dn. D. Draco Consiliarius &
Ordinarius Saxo-Coburgicus, Patronus meus honoratiss. *lib. 3.
tr. de Orig. & Jure Patric. in append. c. 2. n. 13.* ubi ex actis in cau-
sa **Mein** contra **Erfurt** inter alia hoc singulariter notat,
quod cujusdam Comitis de **Gleichen** literæ sub dato Michaelis
ann. Dom. 1277. tale principium habeant: Nos Albertus DEI
gratiâ Comes de Gleichen, &c. Hodie tamen saltem Princi-
pes utuntur; quâque in Gallia absque crimine læsæ Majestatis
rege inferior uti non potest, *Reinkingk de Reg. Sec. & Eccl. lib. 1
cl. 5. c. 6. n. 224.* unde, teste Bodino *lib. 1. de Rep. c. f. pag. 270.* ver-
ba hæc DEI GRATIA LUDOVICUS IX. Franciscum Armorum
Ducem, de suis rescriptis detrahere jussit.

XXI.

Verum uti hæc inscriptio Principum nostrorum emi-
nentiam & potestatem satis arguit, ita Bodinus quod *d. c. f. p.
269.* eam Divinæ Gratiæ recognitionem, rescriptis, literisque,
præmitti solitam, inter leyissima eorum ponit axiomata, me-
ritò taxatur à Dn. D. Dracq. *d. l.*

XXII.

Ex dictis suâ spontè fluit, quod Principes Imperii in pote-
state quoad subditos, & regimine, regaliis, actibusq; Iudiciana-
libus non recognoscant Superiorem. Unde in hujusmodi acti-
bus Iudicialibus ipsi Imperatori præferuntur, quatenus ne-
mo Principibus subjectus, immediatè recurrere possit ad Im-
peratorem, nisi causa sit ardua, intolerabilis præjudicii & no-
testis omnis injustitiæ.

XXIII.

XXIII.

Recognoscunt autem Principes feudi lege ab Imperatore, & habent ipsius munificâ concessione sublimè hoc jus territorii. Per hanc tamen munificam & prolixam Imperatoris concessionem splendor & dignitas ejus minimè exhauritur, & suprema potestas imminuitur, sed magis illustrior inde redditur, quandoquidem tanto major & potentior quisq; habeatur, quantò melioribus & illustrioribus præest, ait Justin. *Nov. 25. in fin. pr.* eoque nobilior existimatur, qui sublimius habet subjectum *Arist. 1. Polit. 5. & 8.* Unde Carolum V. Imperatorem gloriatum ferunt; se in Germaniâ regibus, in aliis regnis ac Provinciis, mancipiis ac servis imperitare. *Zieritz de princip. int. ips. dign. prerog.*

XXIV.

Recognitio autem ista non officit quò minus erga subditos Principes proprio jure uti queant, novâ et si merum Imperium obtineant feudi conditione, nihilo secius fructus Jdictionis proprio veniunt jure. Indeque Principes sibi vendicant proprietatem instar aliarum rerum, & in territoriis suis exercent omnimodam Jdictionem, nec non juribus præ eminentiis & privilegiis, tum quoad leges condendas & alia, coruscant Imperatori indultis *Knicb. d. c. 1. n. 361.*

XXV.

Hinc ex justâ & urgente causâ utilitatem publicam concernente Principes in suo territorio rem alteri possunt auferre. Sic si dilatanda civitas & civis propinquum habeat fundum, cum Princeps pro dilatandis fossis civitatis vel extruendo propugnaculo, aut aliâ necessitate publicâ potest occupare *Gail. lib. 2. observ. 56. n. 2.*

XXVI.

Verum, an Princeps, auferens rem privati ex causa publicæ utilitatis & necessitatis, teneatur ad solutionem justî pretii quæstionis est? Affirmativa sententia cum *Gail. d. observ. 56. n. 8. & Kubach. Decur. 3. quæst. illust. 7.* mihi placet. Maximè enim æquitati, rationi & justitiæ consentaneum est, ne subditus absque culpa suâ invitatus re & pretio careat *per text. in l. venditor §. si constat ff. commun. prad. l. 2. C. in quibus causis servi, pro præm. liber. accip.*

B

XXVII.

XXVII.

Ex prædictis inferitur, quod licet LL. & statuta condere summæ Majestatis sit Symbolum. Permissum tamen generatim Electoribus & Principibus non secus ac Imperatori jura provincialia vel constitutiones promulgare, & contrarias abrogare, rursusque novas constituere, etiam jura communia inconsulto Imperatore tollere, quod & ad Imperii civitates extendit *Geil. in tr. de Arrest. Imper. c. 9. n. 1.* atque illas in pronunciando Camera attendere tenetur *part. 1. ordin. Cam. tit. 57.* Secus tamen fuit olim in præsidibus provinciarum, qui contra jus statuere nihil potuerunt, *textus in l. formam C. de off. præf. p. 1. et.*

XXVIII.

Ex prædictis cuivis etiam facile obviam esse poterit, statuta Principum Germaniæ malè cum jure Prætorio propriè sic dicto comparare, & actionem inde in factum descendentem, concedere Panormitanum *c. ult. extr. de off. legat. Tr. disp. 23. vol. 1. tb. 1. lib. 1* & illam ut aliæ Prætorix, anno finire, *Siehard. ad Rubr. C. qui admitt. ad bon. poss. n. 15.* cum propter dictas rationes, magis legibus accensenda esse, & ex iis conditionem ex lege oriri certum evadat, *Bachov. ad d. disp. 23. tb. 1. lit. C.*

XXIX.

Intuitu Jdictionis concessæ omnigenæ Principes merito quoque sibi vendicant exercitium regalium tam majorum quam minorum. Sic jus monetæ licet aliàs sit character inseparabilis Majestatis. Cui alludit Vopiscus, quando duo signa Imperatoria proponit, Purpuram & monetam. Illam ornamenti, hanc potestatis appellat. Eo ipso tamen si vel à summa Majestate id illis sit concessum vel immemoriali præscriptione & consuetudine acquisitum rectè gaudent Principes, siquidem tacitum Principis consensum præ se gerunt, nec tituli allegatione opus habent *arg. l. ex hoc jure §. ductus ff. de aqua quodid. & l. 1. §. ult. ff. de aq. pluv. & c.* Et sicut monetæ probitas bonæ Politix est indicium; ita ejusdem corruptio labascentis, & ad interitum vergentis Reip. certum est præsagium. *Lindem. in dissertat. de verâ & genuin. mutui & imprimis nummi essent.*

181.

th. 90. Id ipsum etiam historiarum monumenta luculenter
testantur. Inter Antonii Caracallæ teterrimi Imperii Carcino-
matis actus Tyrannicos recensetur adulteratio monetæ, *Xi-
philinus in vita Caracalla.* Cedrenus de Imperatore Phoca
refert, quod de pravatione monetaria maximum detrimentū
Reip. attulerit. Quare Principes certis pactis & LL. suæ Reip.
debent prospicere, ut nummi legibus monetalibus conformes
feriantur, monet. *Bernit. in tr. de numm. lib. 1. c. 4. p. 34.*

XXX.

Porro licet jus restituendi, aggratiandi & indulgendi, soli
summo Principi propriè competat, attamen ex mero Imperio
quod Principibus & statibus est indultum, hodie rectè hanc
potestatem restituendi & concedendi impunitatem absolu-
tam sibi vendicant, *arg. l. 1. §. f. ff. de quest. l. Divi fratres ibi: vel in
integrum restitutio ff. de pæn. R. A. zu Speyer de Anno 1526.
§. Und wiewol der gemeine Mann. ibi: So sol ein jede Obrig-
keit etc. R. A. zu Speyer de Anno 1526 §. Es sol sich auch. ibi:
Die zu jeder Obrigkeit Bedenken und Macht stehen & c. modo
tamen non refragetur divini juris auctoritas ceu sunt pœnæ à
jure & lege divinâ criminibus dictatæ, Magnificus Dn. Ordri-
nar. Theodor. Præceptor & Patronus meus omni observantiæ
cultu prosequendus *disp. 10. colleg. crim. tb. 7. lit. B. ver. ab hisce
etenim.**

XXXI.

Cœmites autem & Barones Nobiles, aliique inferiores
magistratus, licet mero imperio muniti, attamen tradente Ma-
gnif. Dn. Ordinario Theodor. modò citato loco, pœnam
corporalem in aliam principe inconsulto mutare nequeunt,
idem quoque tradit *Kubach. cent. 2. quest. illust. decur. 7. q. 3. §.
4. arg. l. 4. §. l. 31 ff. de pæn.* quodque minus habet dubii in his
terris propter constitutionem Provinciam, quâ cautum
absque consensu Illustriss. Ducum Saxon. nullam debere fieri
gratiam vel remissionem pœnæ sub Rubr. *Das peinliche Sa-
chen / dadurch das Leben verwirret / ohne vnser Bewilligung
nicht bürgerlich zu machen.*

B 2

XXXII.

XXXII.

Magistratibus autem inferioribus superiorem Iudicium habentibus, potestatem ab ordinaria pœnâ recedendi non denegat Magnif. Dn. Ordinar. Theodoric. *d. l.* Si illa ex æquitate legibus sit expressa, atque ita in casu quodam, quo duabus personis, quæ in secundo gradu lineæ æqualis collateralis sese miscuerant perpetuam relegationem in Scabinatu hujus loci fuisse dictatam, simulque ob delinquentium ætatem minorem, & alias circumstantias dispensandi, & pœnam relegationis in multam commutandi jus esse, nobilibus quibusdam responsum testatur itidem Magnif. Dn. Ordinar. Theod. *d. l.*

XXXIII.

Concessum quoque est nostris Principibus ex antiquissimo libertatis prætenso & novissimo imperii jure, ut possint cogere militem in propriam & aliorum salutem. *R. A. de Anno 1526. §. Darouff & c. Waremund. ab Erenberg. lib. 1. de fœder. c. 2. n. 56. & consequenter pacis & securitatis fœdera inter se ferire, A. B. Carol. 4. tit. 15. ordin. Cam. part. 2. t. 8. §. Sojeo mand etc.*

XXXIV.

Apud Romanos sicut fuit in usu, quod multæ Provinciæ in potentium familiarum patrocinium ac clientelam se dedere rint; ita haud dubiè ad similitudinem horum patrociniolorum Principes nostri in Episcopatus, Civitates Imperii & monasteria sibi vendicant jura Advocatiarum & Protectionum.

XXXV.

Occasione horum quæritur: An Civitas vel alius Status imperii, qui se in clientelam ac patrocinium alterius dedit, ex eo amittat jura superioritatis in suo territorio? Negativam sententiam tueor *arg. l. non dubito §. 1. ff. de captiv. & postlim. revers.* Jus enim Patronatus, Protectionis vel Advocatiaz non tribuunt Iudicium Patrono, Protectori vel Advocato

io, & ideò clientes non efficiuntur subditi, licet se alterius protectioni submittant. Patronus enim & Advocatus nihil est aliud quam defensor, *Webn. in pract. observ. sub vocab. Schirmverwante.*

XXXVI.

Insuper non pugnant hæc duo esse in clientela alterius & exercere jura superioritatis in suo territorio. Siquidem clientela illa regulariter nihil est aliud quam quædam quasi confœderatio aut pactum quo Clientes Patronos observant, & hi vicissim eos conservant. Semper enim fit salva Jdictione ordinariâ, *Webn. d. l.*

XXXVII.

Cæterum hic non prætereundum duco, quod potestas gladii seu merum imperium Principibus nostris hodiè non competat jure Magistratus, & ab iisdem exerceatur, siquidem illud aliis exercendum committunt *Bachov. ad vol. 1. Tr. disp. 3. lib. 6. lit. E.*

XXXVIII.

Concessione tamen illâ à Principibus factâ non nisi speciali merum imperium & hodiè transire verius est *arg. l. 1. ff. de officio ejus & c.* non attento quod sub nomine Magistratus plerumque concedi soleat.

XXXIX.

Nec enim olim ideo jure Magistratus competebat, quod Princeps eo ipso quo aliquem v. c. provinciæ præsidem creabat, simul concederet potestatem gladii & criminum executionem, quod contra Cujacium in *l. 131. de V. S. & ad Papin. in l. 1. ff. de officio ejus & c. cum Bachovio d. l.* verissimum existimo, vel ex hac ratione, quod absurdum foret vel Papinianum in *sepe d. l. 1. de officio ejus & c.* disertissimis verbis merum imperium iis, quæ juri Magistratus competunt, opponere, vel *Ulpianum*

num in lib. 6. de officio procons. negare, à Proconsule merum Imperium legato mandari posse, quorum tamen tempore, imò longè ante ipsos, qui Praefecti praetorio, Proconsules, Praesides creabantur, hoc ipso merum accipiebant imperium, *Bacov. d. l.*

XL.

Hujus tanta est dignitas, ut quaedam nationes non hominum, sed Deorum merum imperium existimarint, uti apud veteres Germanos scribit *Tacit. de moribus Germ.* neque animadvertere, neque vincire, neque verberare licuisse, nisi Sacerdotum permisso, non quasi in poenam, nec Regum, nec Ducum jussu, sed velut Deo imperante, id fiebat. *Vincent. Cabot. libr. 2. disp. 7. c. 5. pag. 203.*

XLI.

Sane hodierno statu, ubi jus temporarium praefectura- rum abiit in *αὐτοκρατορία*, ut tradit *Bacov d. l. & Knichen. de Jur. territor. c. 1. n. 65.* & merum imperium ab Imperatore in feudum dari solet, hereditarium id & gentilitium efficitur, *Scipio Gentil. lib. 3. de Jdict. cap. 23. Hillig. lib. 17. c. 8. lit. Nn.*

XLII.

Quà tamen concessione Imperator minimè à se abdicat omnem potestatem. Sic Pharaon Rex Aegyptiorum concedendo Josepho omnem potestatem in regno suo, quam ipse usurpavit, & ut Patris Patriae nomen, ipsius Regis oraculo ferret, supremam tamen potestatem & regii Solii Majestatem sibi reservavit, *Genes. 41. v. 40. & 43.* quæ reservatio ipso jure isti concessioni annexa fuisset, etiamsi ejus expressè Rex non meminisset *text. in c. dudum §. non igitur de praebend. in 6.*

XLIII.

Quo argumento statuo Principem concedendo Nobili
 pagum vel villam cum Iuditione omnimodâ, mit allen Gerichts-
 ten und Gerechtigkeiten/ se non privare Iuditione, sed adhuc
 oēs actus Iuditionales in pago Nobilis eo insalutato exercere
 posse, *Kubach. centur. 2. decur. 8. quest. illust. 5.* Jus enim supe-
 rioritatis & reliqua recognitionis jura sibi semper reservat.
 Princeps investiens quendam cum Iuditione, idque satis lucu-
 lenter probat Laudatissimæ memoriæ Saxonix Princeps Jo-
 hannes Casimirus, DN. quondam meus Clementissimus in Re-
 cessu provinciali sub dato Coburgæ 23. Octob. Anno 1612. §.
 Hinwiederumb unsere Ritterschafft etc. ibi: Jedoch unsere hohe
 Landesfürstl und Centbarliche Obrigkeit/etc. Atq; his paucis de
 Principum imperii jure per Dei gratiam differere licuit, cui sit
 laus, honor & gloria.

CL. Dno. DOCTORANDO,
 Amico suo pl. æstimando.

EX Legum studiis Patruelis honore coruscant
 Justinus, decus & nuper abundè tulit:
 Nunc quoque, quæ meritis, dudumq; brabæa, Georgi
 Appetis, & Themidos totus amore cales.
 O genus egregium! cui talia germina surgunt;
 Cui leges hæc sæcli pondera dura levat.

L. Mrog,
 gratulabundus scribebat

PRÆSESI.

Dilm pugnās, referēs magna cum laude trophæa,
Non pugnās ferro, praelia voce geris.
Regum & Nobilium de jure pericula tentas,
Hinc tibi mox tribuet præmia digna Themis.

Sympatriotæ, Commentali,
& amico meo exoptatissimo, gratulab. f.

Christoph Philip Richter/
D. & P. P.

F I N I S